



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Christophori Longolii Lvcvbrationes

Longolius, Christophorus

Lvgdvni, 1542

Christophori Longolii Vita.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-69441](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-69441)

483

CHRISTOPHORI
LONGOLII
VITA.



CHRISTOPHORVS Longolius
Macliniae, nobili Germaniae oppido, ho-
nesto splendidoq; inter suos loco, natus
fuit. Quonia uero eo uiuo non defuere qui
eum Parisiensem dicerent, libri etiam ab eo scri-
pti, hoc titulo circumferretur: non ab re erit quae ipse in alte-
ra defensionum suarum, errorem hunc librariorum refellens, de
patria sua dicit, hoc loco commemorare: ut deinceps qui
de hac re dubitant, ipsi potius Longolio de se, quam alijs
credant. eius uerba haec sunt, Ego P. C. Macliniae natus
sum, Macliniae educatus, Germanicae linguae et Caesarum
ditionis oppido, cum alijs laudibus multis illustri, tum uero
Philippi et Caroli Hispaniae regum incunabulis per celebri.
haec ille. Puer admodum, cum uix annos 1 x. natus esset, parum
studium et diligentiam Lutetiam Parisiorum, ut ibi literas di-
sceret, est missus. Neque enim uel id aetatis, propter summam
ingenij docilitatem, immaturum censebant, qui in celeberrimo il-
lo literarum domicilio politioribus disciplinis animum excole-
ret. Celeriter uero omnibus artibus quibus puerilis aetas im-
bui solet, ita profecit, ut aequales suos omnes doctrinae lau-
de longe praestaret, ex his autem generosissimum quemque inuadendi
cupidine incederet. Ingenio acri et uehementi praeditus
fuit, in quamcumque partem se dedisset, atque omnium discipli-
narum (quod postea res ipsa declarabat) capaci. Quencumque
scriptorem sibi legendum proposuisset, eum nunquam fere de
manibus, nisi diligenter ab eo perlectum, dimisit. Neque
unquam in eo animaduersum est, aut obscuritate scripto-

ris alicuius, aut prolixitate deterritū, quo minus totū per-
 disceret, si modo talem putaret ex quo fructum aliquem ca-
 pere posset. Cum autem ea quæ in antiquorū scriptis tra-
 dita essent, celerrime perciperet, tum uero quæ abdita fue-
 re nemo maiori facilitate eruit. Atq; huic rei testimonio
 esse possunt multa ab eo penè puero, in C. Plinij de natu-
 rali historia libro, scriptoris nō ita facilis, et plurimis mē-
 dis deformati, ingeniose excogitata & notata, quæ postea
 ipso imprudente & inuito in Gallia fuere edita. Memoria
 uero tanta fuit, ut ad ea tollenda quæ animo semel insedis-
 sent, diuturnitas tēporis uix aliquid ualeret. De pluribus
 & uarijs rebus sæpe interrogatus, de quibus à multis an-
 nis nihil legerat, non minus prompte de singulis solitus est
 respondere, ac si eo die ab eo p̄lecta fuissent. Cuius rei cū
 familiariter cum eo uiuerem, in consuetudine quotidiana
 crebro periculum facere licuit. Hocq; in eo magis mirum
 fuit, quòd cum plurima legisset, omnia autem quæ Græce
 aut Latine scripta essent sibi legenda proponeret, nunquā
 fere ad metam semper properanti, ad eundem scriptorem
 reuertere licuit. Si quando de ijs rebus sermo incideret,
 quæ à diuersis & uarijs scriptoribus tractatæ essent: cum
 res ipsæ essent eadem, ita tamen oratione solebat distin-
 guere, sua uerba singulis scriptoribus à quibus ea accepe-
 rat referendo, ut non memoriter ea dixisse, in quo sæpe of-
 fendi solet, sed de scripto pronūtiasse uideretur. Quæ sæ-
 pe cum faceret, ita auditorum admirationem incendit, ut
 eum artificio quodam, nō naturali memoriæ bono uti exi-
 stimarent. Ad hæc tanta natura bona doctrinæq; summa
 adiumenta, eam industriam adhibuit, ut quicquid in literis
 profecerit, huic penè soli gratia habēda uideretur. In eūte
 etate cum earum rerum cognoscendarum magno studio
 teneretur

*Haec etiam
 Feilio nome-
 no Marburgi
 factum.*

teneretur, quæ à philosophis tractantur, amici, qui eum honoratum magis quam doctum uidere cupiebant, uerètes ne talium rerum studium, eum longius ab honorum petitione abduceret, magnopere illi autores fuere, ne aliud sibi eo tempore, præter ius ciuile discendum proponeret. Ex eius enim artis studio affirmabant fore, ut celeriter ad honores & ad summam gloriam perueniret. Quorum precibus & hortationibus cum sibi omnino parèdum esse duxisset, sex annos in eo studio ita consumpsit, ut nullis interim alijs literis, præterquam oratorijs, quæ maxime etiam artè illam uel ornare uel adiuuare existimantur, operam daret. Vsus est præceptore Philippo Decio celebri iuris interprete, qui tum Valentia in Narbonensi Prouincia maximo auditorum concursu qui undiq; ad eum confluebant, ius docuit. Eo uero tempore ita profecit, ut cum postea ab amicis Lutetiam Parisiorum, ut ius ibi exerceret, esset reuocatus, cum agendo, tum respondèdo, tantam laudem est adeptus, ut uixdum biennium in Iurisconsultorum subfellijs uersatus, in centumuirale illud consilium, quod antea solis senibus uel certe ætate prouectis patebat, admodum iuuenis adlegeretur. Quare amicorum uoluntati iam satisfactum putans, tempus adesse putauit, ut animo etiã suum maiorum rerum cupiditate flagranti morem gereret. Itaque C. Plinium cuius lectioni se totum dicaret delegit: quem uarietate & copia rerum cæteris Latinis scriptoribus præstare, ac uelut in unius operis compendio quæcunq; à philosophis Græcis, pluribus & libris & uerbis tractata essent, mira breuitate collegisse existimauit. Sed cùm res ipsæ, quæ quãuis copiose tractatæ, per se ipse difficultatem afferunt, in angustum à Plinio cõclusæ, uix spem aliquam sui intelligendi darent: ibi partim necessitate coactus, quòd

*Quot Annos
Iura docuerit*

aliter ea quæ ita concisæ tradebantur intelligere non posset, nisi easdem fusius apud alios tractatas uideret, partim magnitudine & uarietate rerum eum inuitante, ut ex uberis illis fontibus potius, ex quibus Plinius ipse hausisset, quam ex illa seclusa aquula illarum cognitionem peteret: animum ad maiora crexit: ut eos etiam scriptores uideret, à quibus illa Plinij emanasse putabantur. In hac uero sententia cum esset, omnes illi agricolæ, omnes fere medici fuere perdiscendi: rerum Romanarum & totius antiquitatis memoria diligenter tenenda. Orbis denique ille disciplinarum, quam ἐγκύκλιος παιδεία Græci uocant, euoluendus: cum nulla fere ars sit, cuius non expressa uestigia aliqua apud Plinium reperiantur. Hæc uero perficere illi multo fuit difficilimum, præsertim Græcarum literarum adhuc ignaro & prorsus rudi. Verum nihil horum eum retardauit: ut erat animo semper reluctante difficultatibus, tumq; incensus cupiditate, ut philosophorum & aliorum scriptorum mysteria cognosceret. Principio itaque Græcis literis tanto studio tantisq; ingenij uiribus incubuit, ut nondum se uertente anno, siue ad philosophos, siue ad oratores se conuerteret, ignorantio linguæ nusquam eum ab eorum intelligentia excluderet, eodemq; temporis interuallo Græce etiam ad Guilielmum Budæum Gallorum doctissimum epistolas sæpe mitteret. Pari ergo studio atque industria cum quinquenium in Græcis scriptoribus legendis perseuerasset, iam lingua ipsa maxime illi familiaris fuit, eademque opera doctos illos scriptores assidue legendo, uberrimam maximarum rerum cognitionem ex illis hausit. Memor uero ubique, cum illos legeret, instituti sui, & cuius causa

initio

initio tot sibi scriptores euoluendos sumpsisset, nihil in his omisit, quod ad pleniorē C. Plinij intelligentiam aliquo modo faceret, quin id diligenter notatum, quo loco & in quo autore legisset, in Plinij libro scriptum relinqueret: ut ante omnia subsidia in hac re, quaecunque ex lectione comparari poterant, tentaret. eandem rationem in recentiorum scriptis legendis seruauit. Quando uero de stirpium natura, multa Plinius traderet, nonnulla etiam de piscibus scriberet, rebus à cognitione huius seculi ita remotis, ut ne nomina quidem intelligantur: non contentus eorum autoritate, qui aliquid de his scripsere, uoluit ipse uerba rebus accommodare, his que diligenter inspectis uidere, quo pacto res ipsæ cum antiquorum scriptis conuenirent. Itaque ea causa illi in Narbonensem Prouinciam iterum proficiscendi fuit, cum adulescens antea ibi ius ciuile didicerat: quam quidem stirpium fertilissimam, piscium etiam abundantissimam, propter illius maris uicinitatem existimauit. In qua quidem peregrinatione librum etiam, quem herbarum historiam appellauit, scripsit. Eam uero partem, in qua Plinius terrarum orbis descriptionem complexus est, diligentissime est persecutus: atque in hoc etiam oculorum iudicio uti uoluit, omnes que & syluas ac montes, & antiqua oppida, à Plinio descripta, quorum aliqua uestigia manerent, ipse adire. Itaque cum adulescens Hispaniam totam peragrasset, adulta iam ætate, Britanniam, Germaniam, Galliam, Italianam emensus est. Statuerat que in Orientem proficisci, nisi Turcorum arma, quibus omnia Christianis hominibus clausa essent, eum ab hoc consilio deterruissent. Quanquam etiam apud homines

nostros peregrinando in magna pericula sepe incidit. Apud Heluetios autem, dum eorum regionem uisceret, nihil propius fuit, quàm ut interficeretur. Quid uero illi acciderit, & quomodo periculum euitauerit, non erit alienum commemorare, quo magis & industria eius cognoscatur, & animus, qui nullo periculo à rerum dignarum inuestigatione deterreri potuit. Profectus est eò cum duobus familiaribus Gallis, eo sane tempore, quo accepta clade apud Mediolanum Heluetij à Gallis maxime dissenserunt. Ex comitibus ergo cum in suspicionem uenisset, speculandi causa accessisse, pars quaedam cohortis Heluetiorum eos aggressa est. Ibi cum aliquãdiu repugnassent, neque pares esse potuissent, unus eorum fuga Rhodanũ transnatando, uitam sibi seruauit: alter in pugna casus: ipse graui uulnere altero brachio accepto captus & in carcerem abductus est, ubi triginta fere dies, cũ neq; medici neq; remedij ullius facultas daretur, uulneris dolore magis magisq; ingrauescente, in summo moerore iacuit, donec casu antistes Sedunësis, qui apud Heluetios dignitate et gratia maxime potuit, eò uenisset: cuius opẽ cũ Longolius per literas supplex implorasset, ipse casum uiri ualde miseratus statim custodia liberauit, adhibitisq; medicis, tã diu apud se retinuit, dũ à uulnere prorsus sanatus esset: tũ equo donatum, & uiatico liberalissime instructũ, in patriã remisit. Nec uero ille antè discedere uoluit, quàm id cuius causa uenerat perfecisset, regionẽq; totam lustrasset, atq; tabellis descriptam secum domum reportasset: cuius rei perficiendæ maiorem tũ facultatẽ habuit, quam ei Sedunensis autoritas dabat. Itaq; cũ in omnibus quæ uidere cuperet abũde satisfactũ esset, illinc in patriã decessit. Sed ut eò de quo inceperam reuertar, hoc eum sepe prædicantem audiui

diui, se quicquid rerum naturæ cognitione profecisset, id C. Plinij lectioni acceptum referre, qui in omnibus illi occasione pluræ quærendi & inuestigandi semper dederat. Oratorijs artibus à puero semper deditus fuit, earum uerò summam cognitionem, non artis solum præceptis, sed multa exercitatione firmauerat. Declamandiq; cōsuetudinem multis iam seculis intermissam & propè mortuam, qua nihil unquam utilius ijs qui oratores euadere cupiunt, inuentum fuit, in seipso primum, post in alijs renouauit, cum argumento proposito, sæpe in scholis declamando alios suo exemplo, ut idem facerent, commouit. Genus dicendi ineunte ætate secutus est, quod postea uir factus, ualde improbauit. Nam cum adolescens per omnia scriptorum genera uagaretur, neq; quenquam unum sibi imitandum proponeret, sed ut ipse de se dicere solebat, tantum in uno quoq; notaret, quantum acute aut sententiose dictum esset: eo factum est, ut prudenter semper fere diceret: quod fuit etiam naturæ: oratio uerò eius, quæ ex uerbis undique accersitis constaret, nullam neq; elegantiam, nec uenustatem præ se ferret, formamq; dicendi inconditam & minime æquabilem redderet. In hoc tamen genere multa scripsit: Orationem de laudibus C. Plinij: alteram de laudibus Gallorum: Comparationem iuris ciuile cum re militari, in qua iuris laudes extollit: Commentarios quosdam in ius ciuile: Historiam herbarum: Commentarios in x. libros Plinij ab eo admodum adolescente, quo primū tempore Plinium in manu sumpserat, conscriptos: postremo uerò omniū, cum iam etiā maiorem elocutionis rationem habere inciperet, quinque orationes de laudibus urbis Romæ fecit. Quòd uerò genus scribendi mutauerit, id Petri Bembi cōsilio, qui eo tēpore hac laude eleganter & Lati-

H 3 ne scri

ne scribendi multum Italus omnibus præstitit, acceptum referre solitus est. Ille enim cum Longolio amicissimus esset, multaq; eius prudenter quidem scripta, sed inquinatis & corruptis uerbis referta uideret, dolore se apud eum sepe testatus est, quòd cum à natura & literis ad oratorias artes instructissimus esset, uoluntate etiam in eas maxime propensus, negligeret tamen eam partem emendate & Latine loquendi, quam M. Cicero eloquentiæ Romanæ parens solam & quasi fundamentum oratoris esse iudicauit: unde etiam eloquentia ipsa nomen sumpsisset. Magnopere igitur est cohortatus, ut totam suam dictionem, ad præstantem illam Ciceronis dicendi formam reuocaret, eumq; solum ex oratoribus sibi imitandum proponeret. Cuius consilio & auctoritati tantum tribuit, ut quinque annos continuos ab ea cohortatione, nullum alium autorem Latinum in manibus haberet, nullum legeret, præter unum Ciceronem: in quo tantum studio industriaq; profecit, ut post breue tempus, cum sibi eam legem indixisset, ne alijs atque à Cicerone sumptis uerbis uteretur: ac omnia ferè quæcunq; animo concepisset exprimenda, abunde ex illo uno uerba electa suppetere. Cumq; se totum ad summi illius oratoris imitationem dedisset, sicq; toto animo contendisset ut nihil unquam magis, ut perfectam illius scribendi formam animo inclusam haberet, etiam in omnibus quæ scripsit, ut eodem modo dicere posset, magnopere laborauit. In hanc uerò formam scriptæ sunt ab eo orationes duæ, quibus eorū accusationi respondet, qui cum Romæ perduellionis reū egere: una præterea ad Luterianos oratio, et aliquot epistolæ ad amicos: reliqua omnia quæ scripsit, ipse abolenda censuit: idq; ut ita fieret, amicis moriens cõmendauit. Causam uerò totã Luterianã, cuius op=

pugna

pugnationem iussu x. Leonis Pontificis Maximi, à quo etiam commentarij totius causæ missi ad eum fuere, suscepit, quinque orationibus complecti statuerat: breuique perfecisset (excogitatis iam secum, ut ex ipso audieram, quæcunq; tali in causa dicenda forent) nisi prima statim absoluta, immatura mors cõsiliu eius præuenisset. Theologiam, & eos scriptores, qui de diuinis rebus tractant, omni ætate coluit: idq; putauit hominis esse Christiani, nõ in senectutem, ut maxima pars hominum facit, hoc studiũ differre, sed quotidie addiscendo in eo, quanquam lentius id fieret, aliquid tamen procedere. Hoc autem modo ipse & Græcos & Latinos plurimos, quos maxime in rerum diuinarũ explicatione excellere putauit, diligenter euoluit. In his uerò literis, & in alijs artibus, tot perlegit, tam multa, tanto iudicio, in tam paucis annis, ea etiã ætate qua alijs uix maturũ iudiciũ adesse solet: tot interim laboribus ex peregrinationibus exercitus, ut ijs, qui eum & mores eius non nouere, penè incredibile uideatur. Sed adiuuabat præter cætera quæ modo cõmemorauit, tẽperãtia summa in uictu, & in omni uita, ut uoluptatibus, quæ apud cæteros eius præsertim ætatis magnã partẽ tẽporis sibi uindicant, nullũ omnino tẽpus daret. Cibi et potus erat parcissimus, mero nunquã, dilutissimo semper utebatur, maxime uerò frigida potu delectabatur: quo etiã sæpius usus fuisset, nisi medici, quòd maxime inimicum stomacho dicerent, eum magnopere deterruissent. Somno parum indulgebat: cũ plurimũ, non amplius sex horas dormiebat. Reliqua genera uoluptatum summus ille ardor in studia literarum ita restinxit, ut nulla prorsus in eo aliarum rerum cupiditas appareret. Neq; uerò ita prorsus studijs deditus erat, ut reliqua omnia, quæcunq; in Republica Christiana

stiana

stiana agerentur, tanquam ad se nihil pertinerent, negligeret, sed cum studijs plurimum tribueret temporis, tum uerò quando uel salutis ratio, uel quæuis alia necessitas, eum à studio auocaret, libentissime & diligentissime de ijs quæ foris agerentur, inquirebat. Quo factum est, ut simul & doctissimus & prudentissimus haberetur: ut neq; hæc curiositas rerum externarum cognoscendi quicquam de legitimo studiorum tempore detraheret, nec illa languidiorem ad cætera redderent, aut quicquam de prudentia rerum diminuerent: sed contrà alterum ab altero adiutum hanc pulcherrimam in eo prudentiæ & sapientiæ coniunctionem effecere. Corporis eatenus ratione habuit, quatenus studijs sufficere posset: quotidieq; ante cibum parua pila se exercebat. Quanquam per se laboris apta membrorum compositione patiētissimum corpus habuit, & quod multis magnisque laboribus ad omnem patientiam ineunti ætate firmauerat. quippe qui adolescens laborem etiam militarem fuerat perpeffus: milesq; Neapolitano bello cum Ludouico Gallorum Rege in Italiam uenisset: etsi à robore militari multum abesset, corpusq; decorum magis habere quàm robustum uideretur. His uerò rationibus ita corpus & animum curauit, ut alterum semper sanum, alterum quàm doctissimum, uarijsq; et multis artibus repletum haberet. Quantū uerò doctrina & eloquentia inter huius seculi scriptores præstiterit, ij demum intelligent, qui pauca ea quæ suo iudicio probata, scripta reliquit, cum aliorum in illo genere scriptis conferent: aut is deniq; qui in simili scribendi argumento sui periculum fecerit. Neq; uerò istis artibus atq; uirtutibus præmia omnino indigna his temporibus tulit: multaq; præclara de eo iudicia principes uiri fecere. A' rege Hispaniæ Philip-
po du

po duodeuiginti annos natus, sanctioribus illis recondita-
 rum rerum notis, quibus hodie unis omnia prope regno-
 rum arcana committuntur, præfectus. A principibus Pan-
 noniæ magno proposito præmio accersitus, ut regem pue-
 rum optimis artibus instituendum susciperet. A Ludoui-
 co Francorum rege multis honoribus affectus: de quibus
 ille in iudicio cum pro se diceret, aduersarijs maxime con-
 ditionis obscuritatē obijciētibus, cōmemorare est coactus.
 Quo tēpore Regis decretum recitari fecit: à quo ille non
 unius aut alterius (ut eius uerbis utar) suæ ditionis urbiū,
 sed uniuerſi regni uiribus uno edicto est donatus. Sub
 quod etiam aliud decretum consilij illius centumuiralis,
 quod Lutetiæ Parisiorum cogitur, intulit. In quo illi iura-
 ti summo consensu in collegium suum cooptarunt, habi-
 turum in perpetuum ius uitæ & necis, ac summam fortu-
 narum omnium potestatem, non in plebem modo, sed in
 omnes regni procures. Vicesimo uerò octauo ætatis anno
 ciuitas ei Romana ultro est oblata, uirtutisq; & literariū
 ergò ciuis factus. Quæ res quanquam initio multarum illi
 turbarum causa fuit, multis clam inuidentibus, nonnullis
 uerò nobilissimis uiris palàm eum oppugnantibus, & uir-
 tutibus eius obtrectātibus, inter quos magno periculo est
 uersatus: postea tamen optime cessit, nomenq; eius & glo-
 riam magnopere auxit. Nam cum statim post ciuitatem
 adeptam in Gallias redire studeret, ut amicos & propin-
 quos, à quibus multos annos abfuerat, uiseret: crebræ ue-
 rò aduersariorum eius uoces exceptæ essent, palàm dicen-
 tium, se nomē eius delaturos: ea res fecit, ut paulò diutius
 consilium profectionis differret: ne si tali tempore urbem
 relinqueret, non amicos salutandi causa discessisse, sed
 timore & minis inimicorum perterritum ab urbe aufu-
 gisse

gisse

gisse uideri posset: sed cum diutius mansisset, quàm eius rationes paterentur, expectans quorsum obtrectatorum inuidia procederet, cum illi interim nihil contra eum nisi conuitijs agerent, existimans ulterius eorum indignitatem non progressuram, iter Galliam uersus iam diu ab eo deliberatum, est persecutus: relictis tamen apud amicos defensionibus suis scriptis, ut contra omnes conatus aduersariorum, si absentia eius aliquam illis occasionem accusandi daret, præsto haberent quod opponerent: iam tum ex eorum conuitijs animo prospiciens, quæ maxime obiecturi essent, quibus ille omnibus medicinam fecerat. Cuius sui consilij prudenter excogitati magnum postea fructum & uoluptatem cepit. Vix enim Venetias in eo itinere peruenit, cum ad eum literæ amicorum sunt allatæ, nunciantes grauissimam accusationem, qua statim post discessum eius aduersarij sunt usi, & quo pacto consilium de relinquendis defensionibus processisset. Accusauit eum nobilis & disertus adolescens Romanus, in quo magnam dignitatis sue spem maiores natu Romani collocarant, ad id inductus inimicorum Longolij multis & assiduis precibus, obiecto etiam falsæ gloriæ splendore, quod patriæ laudibus, quas oppugnatas à Longolio esse uoluerunt, in huiusmodi accusatione adesse eum asseuerarent. Ita uerò acerbe & uehementer, ipso audiente principe Romano, cum multi nobilissimi & clarissimi uiri iudicio interessent, egit, ut nonnulli amici Longolij essent qui de causa obtinenda desperarent, donec amicorum præcipua cura defensiones eius in lucem prodire: quæ ita ab omnibus passim probabantur, ut multi dicerent non Longolium ciuitatis donatione ornatum, sed ipsum ciuitatem illis orationibus ornasse, in quibus pristinam dignitatem ciuitati & uetera sua orna-

menta

menta omnia restituisse uidebatur. Principi ipsi uerò ita placuere, ut oblitus penè quid aduersario eius tribuisset, què paulò antè, nulla magis re alia motus, atq; eius in Longolium actione, in familiariū numerū receperat, protinus iuberet ut diplomata Longolio expedirentur, quibus ratum esset, quod S. P. Q. R. de ciue eum asciscendo decreuisset: præterea quod ipse de priuato arario ad tuèda studia eius concessisset: atq; ad eum ubicunq; terrarum esset, deferrètur: ea tamen lege, ne sedem studiorum alibi quàm in Italia poneret. Multis præterea honoribus affecit. nam in Palatinū & sacrosanctæ Lateranensis aulæ comitatū sua sponte cooptauit, & in Romani Pontificatus scribarū numero esse uoluit. Quæ cum ad eum perlata essent, cum alia omnia libenter audiuit, tum uerò conditionem de cōmoratione sua in Italia non inuitus accepit, lætusque in Galliam quasi ex inimicorum dolore triumphum agens, animo statim reuertendi est profectus: ubi magno amicorum gaudio exceptus, quòd nihil tam præter opinionem eorum accideret, quàm ut eum quem uix saluum in tantis contentionibus arbitrabantur, honoribus etiam auctum uiderent, magna eum studio apud se retinere cōtenderūt, pluribus etiam ad manendum præmijs & priuatim à multis, & publice à rege ipso Francorum propositis. Ex priuatis autem qui hoc maxime ab eo contenderunt, Ludouicus Ruzæus Parisiensis, cum multa alia, tum uerò suburbanum fundum lautum & fructuosum muneri obtulit: nullam aliam beneficij sui remunerationē aut operam ab eo expectās, nisi ut urbe illa quasi domicilio studiorū suorum cōtentus, in Italiā amplius nō rediret. Ille uerò quam Galliam semper non minus charam quàm patriam habuit, existimans non inferiori amoris loco habendam
quæ

quæ excepit, quàm quæ genuit, plurimi etiam in hac re a-
 micorum studia æstimaret: tamen cum recordaretur quam
 fidē x. Leoni Pont. Max. & reliquis amicis de reditu de-
 disse, ab eo nullis cuiusquam promissis aut precibus dedu-
 ci potuit. Mirifice uerò ipse sua sponte erga Italiam &
 Italos afficiebatur: ut etiam in epistola quadam ad Sado-
 letum, reditus sui rationem probare uolens, cum alias cau-
 sas attulisset, postremo addit, ideo se redisse, quòd ad exci-
 tanda fouendaq; studiosorum hominum ingenia plurimū
 conferre arbitratus esset cœli ipsius Italiæ clementiam,
 seq; in eo felicem illum & planè diuinum Italiæ genium
 secutum. Antequàm uerò rediret, Britanniam nobilem in-
 sulam uidere uoluit, adductus præterea fama eorum quos
 præter cæteros illic Græcis literis & Latinis eruditos, o-
 mni liberali & ingenua doctrina pollere audiuerat. Cum
 quibus pluribus diebus iucunde consumptis, quòd eorum
 doctrina ita delectaretur, ut etiam summæ admirationi
 esset, quemadmodum sæpe cum prædicantem audiui, tan-
 tam & tam politam atque excultam doctrinam in illis lo-
 cis, apud eos homines, uel usquam penè terrarum, his tem-
 poribus, quibus propè omnes elegantiores artes iaceant,
 potuisse reperiri: ad constitutum sibi in Italiam iter reuer-
 sus est: Patauiumq; uenit, quem studijs suis locum accom-
 modatissimum elegit. Quanquam simul ac de eius in Ita-
 liam aduentu auditum est, populus Florentinus non solū
 in ciuitatem suam, si illic ad instituendam bonis artibus
 iuuentutem se conferret, inuitauit, uerum etiam uicena
 quina in annos singulos sestertiorum mummū nullia
 ex arario publico decreuit. Verum ille recordatus, quæ
 præmia antea contempserat, quòd nullam ocij sui partem
 alijs uendere uoluisset, nulla mercede à suscepta proposi-
 taq;

taq; sententia potuit auelli. Patauij autem se continuit, sibi & studijs suis seruiens, primum in contubernio Stephani Saulij nobilis Genuatis, qui literarum causa eò se contulerat, optimarum artium etiam ipse studiosissimus. Deinde uerò eo in patriam reuocato, cum multi nobiles uiri (quorum tum Patauij propter celebritatem eorum qui literas docuerunt, magna copia fuit) certatim Longolium ad se inuitarent, quòd eius consuetudinem non honorificam tantum sibi, sed etiam fructuosam fore putabant: ille in domum Raynoldi Poli nobilis iuuenis Britanni, quem per eos dies Rex Britanniae literarum causa eò miserat, migravit: quocum coniunctissime in literis usque ad extremum uitae diem uixit. Amicitijs usus est magnis & illustribus, quas illi ubique ferè uel felicitas quaedam eius, uel doctrinae fama conciliauerat. Neque uerò in conciliandis amicis felicior, quàm in retinendis prudentior habebatur: quos summa fide obseruantia que semper coluit. Quantum uerò officio in amicos tribuit, uel extremus ille uitae eius actus facile declarauit. Nam cum grauisime ex febre laboraret, ex qua etiam periit, eodemque tempore ab Hieronymo Sauorniano amico suo, qui tum filium summa spe & indole adolescentem amiserat, literas accepisset ualde miserabiliter de morte filij scriptas: existimans se non aliter officio suo in amicum non posse satisfacere, in medijs ipsis doloribus cum grauisime cruciaretur, literas ad eum consolatorias, morbum suum silentio tegens, ne hoc etiam ad amici dolorem, dedit. Quae quidem ut tum scriptae, maxime uim morbi auxisse existimari possent, sic uberime quo officio in amicos esset declarauere: qui ne eo quidem tempore sibi parcere uoluit, aut officium inter-

I mittere

*Freundlich
licher Vatter
am erbetreiben
jeit uider
gehefert*

mittere, quo omnes illi libenter remisissent: aut sane amicus non esset, qui hoc ab eo exigeret: & tum alium consolaretur, cum magis consolatione ipse egeret. Sed ab ea humanitate quam in omni uita erga amicos retinuerat, ne tum quidem dolor corporis & propinqua mortis expectatio potuit eum deducere, aut facere ut suorum commodorum rationem haberet, qui semper quacunque in re declarare posset, amicorum commoda suis prætulerit. Quo factum est ut charissimos illos semper firmissimosque haberet: idque maxime est expertus, cum absens Romæ in iudicium uocaretur. Quo tempore neque aduersariorum eius potentia, quæ maxima fuit, nec acerba eorum in eum accusatio, quenquam eorum qui amicitia uel consuetudine aliqua, dum Romæ esset, coniuncti uidebantur, ulla in re flectere potuit. Plurimum uero ex omnibus detulit Iacobo Sadoletto, & Petro Bembo, uiris cum autoritate & gratia inter eos qui tum Romæ erant, maxime florentibus, tu uerò doctrina & omni politiore humanitate propè singularibus. Quorum opibus & gratia quàm diu Romæ fuit, in omnibus rebus est usus. Ut uerò alios in se benignos & liberales est expertus, sic omnibus quos aut opera aut consilio iuuare posset, maxime fuit expositus: præcipue uerò ijs qui spem aliquam de se uel ingenij, uel doctrinæ darent. Noui ipse multos qui cum à patria absentes & amicorum subsidio destituti ad eum confugerent, ab eo sæpe pecunia subleuatos: cum tamen ualde tennes facultates haberet, & aliorum opibus casus suos sustentaret. Quando uerò diutius sumptus tales se ferre non posse sentiret, per amicos omnia egisse ne quid illis deesset, non secus ac si omnia necessitudinis officia sibi cum illis intercessissent, qui neque
cognat

cognitione, neque patria eum contingebant, indole tantum & spe doctrinae ei commendati. Aduersae fortunae uulneribus multis, ut in tam paucis uitae annis, ictus, nihil unquam aliter atque uirum decuit, tulit. Primum Philippi Regis Hispaniae morte inopinata, ad quem se post amissum utrunque parentem contulerat, ex quo cum magna sperasset, iamque apud eum gratia & supra aetatem autoritate multum ualeret, ille praeter omnium opinionem in Hispania ereptus est. Deinde multis peregrinationibus & molestiis agitatus, carceris etiam molestiam & difficultatem est perpeffus. Post contentio illa Romae accessit cum potentibus & factiosis aduersariis: inter quos cum saepe discrimen uitae adiit, nunquam sine magno periculo uersabatur. Extremum uero omnium, quod aliqua ex parte eum attingere uidebatur, fuit decimi Leonis Pontificis Maximi mors, in cuius uita omnem spem fortunarum suarum sitam habebat, cuius autoritatem & promissa sequutus, contra omnium amicorum suorum uoluntatem in Italiam redierat. Cum autem neque ad suos honestum reditum, quorum antea promissa spreuerat, neque quo pacto in Italia defuncto iam Leone, qui antea sumptus suppeditabat, otium suum cum dignitate tueri posset, satis uideret, haec nonnihil eum conturbarunt. Nusquam tamen se commouit: sed ueteribus tantum amicis, quos in Italia habuit de statu suo per literas admonitis, ille in contubernio illius nobilis iuuenis Britanni se continuit. Cum uero decem menses post obitum Leonis perpetuo fere in literis uersaretur, constitutum se habere dixit in Forumiulium proficisci, cum ut animum suum curis literarum districtum peregrinatione relaxaret, tum etiam ut eam partem Italiae sibi non satis cognitam ui-

I 2 seret

seret. Itaque paucos ante dies quàm egredi statuerat, cum nihil omnino incommodæ ualeitudinis sentiret, semotis arbitris multa cum Polo suo, cui semper plurimum tribuit, fertur disputasse de periculis, de fragilitate, de miseria humanæ uitæ. Hanc uerò tandem summam orationis habuisse, ut quoniam sibi peregrinandum esset, neque ignoraret multa sæpe peregrinantibus pericula præter opinionem, quibus obsisti non posset, interuenire: ut rebus suis, quicquid sibi accideret, prouideret: testamentum se uelle facere dixit, atque apud eum deponere: flens que pene rogauit, ut siquid sibi aduersi accideret, testamenti capita persequeretur, famam que suam & memoriam charam haberet. Atque hæc cum magna admiratione illius cui hæc commiserat, fecit. Quis enim non miraretur, quòd in proximam prouinciam exiturus, optima etiam ualeitudine, ut sibi & alijs uidebatur præditus, ea diceret & faceret, quæ magis ex uita quàm ex ciuitate migrantis uidebantur? Verum siue diuinatione de propinqua morte sua id faciebat, siue prudentia quadam, quam casus postea diuinationem uideri fecit, eodem die qui profectiōni constitutus est, in grauem & asiduam febrem incidit, ex qua non conualuit, eo etiam tempore cum forte abesset Polus, cui antea res suas omnes crediderat. Quem tamen per literas statim quo statu esset certiozem fecit, nihil de testamento mutans: hoc tantum rogans, ut quemadmodum coràm recepisset, curam & quasi dispensationem rerum suarum acciperet, mortuo que memoriam pie & inuiolate præstaret. Quo nuncio tristissimo ille percussus, quòd cum unice amaret, subito accurrit, multa que cum in spem uitæ diceret, eadem etiam medici pollicerentur, nunquam ab eo deduci potuit, quin ea febris finem sibi

sibi uita esset allatura: id quod paucos post dies euenit.
Antequam uerò discederet, in diui Francisci familiam uo-
luit adoptari, eiusque habitu post mortem & templo se-
peliri. Obijt x x x i i i i . ætatis anno. i i i . Idus Septem-
bris. Anno salutis generis humani M. D. x x i i . atque
Patauij in Francisci, quemadmodū præscripsit, sepultus.

F I N I S.

GERMANVS BRIXIUS IN
OBITVM CHRISTOPHORI
ONGOLII.

Castalides lacerate genas, diuellite crinem,
Nec lacrymæ finem, nec teneant gemitus.
Proh dolor, effertur Patauina funus in urbe
Ante sua extincti tempora Longolij.
Quem modo uel Gallum uoluit pro dote Latina
Roma locum ciues inter habere suos.
Roma sibi plene mox restituenda, dedissent
Longolio plenos s. modo fata dies.

D E E O D E M.

Longolio uixdum digresso matris ab aluo
Dixerat Aonidum nomine Mercurius,
Cresce infans, tibi ab ingenij linguæq; disertæ
Dotibus, olim ingens me duce fama aderit.
Quam primis postquam sibi quæsiuisset in annis
Longolius, fuso nocte dieq; oleo:

I 3

Tum